



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Willelmo Abbatii Gemblacensis monasterij, ejusque fratribus tam  
præsentibus quàm futuris religiosam vitam professis in perpetuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

constitutis, iudicem occasione litterarū ipsarū in memorato monasterio sancti Iudoci volebant correctionis officium exercere. Verū cū Abbas & conventus ad eorum citati præsentiam rescripti apostolici copiā sibi fieri, ut ex ipsius tenore constaret si tales inquisitores haberent aliquid jurisdictionis in ipsis, & dari sibi ad deliberandum inducias postularent, nec obtinere valerent, ad sedem apostolicam appellarent; sed illi, appellatione contempta, in eundem Abbatem suspensionis, sicut audivit, sententiam promulgarunt, alias in ipsis & quorundam aliorum de monasterio præjudicium perperam procedentes. Vnde petebat à nobis Abbas prædictus eorundem processum irritum nuntiari. Auditis igitur iis & aliis propositis coram nobis tam per Abbatem eundem quam per magistrum P. nuntium Episcopi memorati, qui tamen nuntius de iis quæ proposuit non potuit facere nobis fidem, quia generale mandatum non derogat speciali, præsertim cū in eo de speciali mentio non habetur, prædicti Abbatis de Gardo & collegarum ejus processum decrevimus irritum & inanem. Verū ne sæpedictum monasterium tali prætextu plenariae correctionis officio defraudetur, per apostolica vobis scripta mandamus quatenus cū inter sit Episcopi ne in sua dioecesi monasteria remaneant incorrecta, prædicto Ambianensi vocato, ut per se vel per nuntium, si velit, inter sit, non ut impedit, sed ut in præsentia vestra proponat si quid viderit corrigendum, ad ipsum monasterium personaliter accedatis, eidem secundū tenorem præcedentium litterarum plena visitationis officium imponatur. Vos denique, filij Abbates, super vobis ipsis &c. Datum Laterani xviii. Kal. Decembri, pontificatus nostri anno sextodecimo.

**W I Z Z E L M O A B B A T I**

*Gembacensis monasterij, ejusque fratribus tam præsentibus quam futuris religiosam vitam profissi in perpetuum.*

*Epiſt. 146.  
De confirma-  
tione privile-  
giorum.*

**R**eligiosis desideriis dignum est faciem præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Ea propter, dilecti in Domino filij, veltris iustis postulationibus elementer annuimus, & prædecessorum nostrorum felicis memoriae Innocentij, Eugenij, & Celestini Romanorum Pontificum vestigii inhabentes, prefatum monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus &

præsentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quaecunque possessiones, quæcumque bona &c. usque & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Ipsum videlicet monasterium in beatorum Petri & Exuperij honore fundatum, quod utique ipsius burgi principalis Ecclesia esse dicitur, cum Capella sua, quæ vocatur sancti Salvatoris, juxta providentiam tuam & successorum tuorum, fili Abbas, tam in temporalibus quam in spiritualibus liberè & absque contradictione aliqua disponenda, salvo nimirum jure debito Leodiensis Episcopi. Similiter etiam villas & Capellas de Corcis, de Esnagia, & de Salveniris, & de Lircil, & de Arentin, ad prædictum locum tam parochiali quam seculari jure pertinentes. Præterea fundum ipsius burgi, & terras adjacentes, cum banno & justitia, percussura monetæ, mercato, & teloneo, foragio vini, cambatio, & materia, positione villici five scabinorum atque ceterorum officialium ad eundem locum pertinentium. Piscarias & vivaria, cum molendinis, terris cultis & incultis, pratis, pascuis, & sylvis, ac partem allodij Gemblacensis quæ fuit Ægidij & Iohannis fratrum de Corcis & compaticipum suorum. Ecclesiam quoque de Castris, Piëtam villam, villam quæ dicitur Eineis, vicum qui dicitur Boferolus, vicum qui dicitur Maisnil, censem de Roseriis, villam quæ dicitur Soe cum Ecclesia, banno, justitia, terris, sylvis, pratis, pascuis, & piscaria. Censem villa quæ dicitur Templiacus, cum tribus placitis annualibus, villam quæ dicitur Ferolt, villam de Molenvivo cum Ecclesia, villam sancti Guarericum cum Ecclesia, villam de Niele cum Ecclesia, allodium de Vvalchem, villam de Bellorivo, montem qui dicitur sancti Viberti cum Ecclesia & appendicis suis, decimas quorundam fartorum de Sumbresia, villam de Diana cum Ecclesia, terris, pratis, & silvis, allodium de Iandrenolio, apud Puccium viginti duos solidos Leodiensis monetæ, Ecclesiam de Bosluth, Ecclesiam de Baverechircum cum terris ad eam pertinentibus, villam de Stirs. Apud Leodium duos manfos, unum in insula juxta sanctum Paulum, altera sanctum Lambertum, & vineam unam apud Viniacum. Apud Namucum aliam vineam, Villam de Sofri cum Ecclesia, heremum sanctæ Mariæ apud Brenam cum Ecclesia. In episcopatu Cameracensi villam de Turp cum Ecclesia. Adientes vicesimam par-

tem totius allodij de Bevenchin, quam tenetis de Ecclesia sancti Lamberti sub anno censu viginti quinque solidorum Leodiensis moneta. Ecclesias quoque de Bosfuth & de Bavenchen, cum omni jure quo d' habetis in eis tam ex patronatu quam ex donatione pia recordationis Alberti Leodiensis Episcopi, quam vobis specia-  
liter sedes apostolica confirmavit. Decimam sartorum totius sylvæ Episcopi Leodiensis apud Bavenchen. Decimam quoque in villa Smirei, quadraginta bunuariorum terræ & amplius, cum decimis quas habetis in monte sancti Vviberti à parochianis mansioris vestris. Medietatem Ecclesie de Vuares cum dominio dotis & terræ & censu & Gallianorum. Praeterea libertatem, donationes, & possessiones ab illustri quondam viro Imperatore Ottone & Vvilbodore Leodiensi Episcopo rationabiliter eidem venerabili loco collatas, & prædecessoris nostri bonæ memoria Benedicti Papæ privilegio roboratas, & usque ad hanc diem quietè à vestro monasterio habitas, nos quoque vobis concedimus & firmamus, sicut in eorum scriptis & privilegiis authenticis continetur. Sanè novarium vestrorum &c. usque exigere vel extorquere præsumat. Liceat quoque vobis clericos vel laicos &c. usque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper &c. usque nullus audeat retinere. Cùm autem generale interdictum &c. usque divina officia celebrare. Chrisma verò, oleum sanctum &c. usque voluerit exhibere. Alioquin liceat vobis &c. usque quod postulatur impendat. Adicimus etiam ut si quando in aliquo negotio vos gravari senseritis, sedem apostolicam vobis liberè liceat appellare. Quotiens etiam sanctam Romanam Ecclesiam pro gravaminibus vestris aut certa utilitate adire volueritis, id ipsum faciendo facultarem liberam habeatis. Sancimus etiam ut bona atque canonicae consuetudines quæ in vestro monasterio haec-  
tenuerunt; eidem venerabili loco in perpetuum illibatae serventur. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate &c. usque providerint eligendum. Decernimus ergo &c. usque omnimodis profutura. Salva sedis apostolice auctoritate & diocefani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur in futurum &c. usque districtæ subjaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco &c. usque pacis inveniant. Datum Laterani per manum Rainaldi Acolyti, & Capellani Domini Innocentij Papæ IIII. xviij. Kal. Decembris, Indictione II. incarnationis

Tom. II.

dominicae anno millesimo ducentesimo  
xiiii. pontificatus verò Domini Innocen-  
tij Papæ IIII. anno sextodecimo.

*EPISCOPO ET ARCHIPRESBYTERO  
& R. CANONICO FLORENTINIA.*

**C**VM olim cives Pisani ad apostolicae sedis iura manus avidas extendere cu-  
pientes, dilectum filium nobilem virum Iudicem Calaritanum, qui ab Ecclesia Romana terram quam habet in Sardinia in feudum tenere dinoscitur, super quibusdam ejusdem terræ partibus coram Potestate Pisana per suum syndicum convenient, ac pro sua voluntatis arbitrio quasdam promulgari fecissent sententias contra eum in juris apostolici lesionem, nos at-  
tententes quod idem Iudex super iis quæ à Romana tenet Ecclesia non nisi sub Romano Pontifice debuit conveniri, senten-  
tias ipsas, tamquam à non suo judice latas, denuntiari fecimus irritas & inanes, ac inhiberi nihilominus civibus antedictis ne ipsarum occasione præfatum Iudicem de cetero molestarent. Nuper autem ad audi-  
tiam nostram eodem significante per-  
venit quod dicti cives uti volentes senten-  
tias antedictis, nuntios suos in Sardiniam postmodum transmisserunt, ut per ipsos eorum possessionem apprehenderent quæ ipsi per sententias adjudicata fuerant sa-  
pedictas. Praeterea B. Cajetanus Pisanus civis super fructibus cuiusdam partis quam in Caleri se habere proponit, coram Rectoriis Pisaniis in caufam traxit nobilem memoratum, eumque sibi obtinuit con-  
demnari. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus no-  
bilem sapientum sententiarum occasione dictarum non sinatis ab aliquo molestari,  
molestatores, quotiens ab eo fueritis re-  
quisiti, per cenluram ecclesiasticam appella-  
tionem postposita compescentes. Quod si non omnes &c. tu ea frater Episcope &c.  
Tu denique, frater Episcope, super te ip-  
so &c. Datum Laterani v. Kal. Decem-  
bris, pontificatus nostri anno sextodecimo.

*Epiſt. 147.  
Scribitur pro  
Iudice Calarita-  
no.*

*ABBATI SANCTI MAURICII  
Agaunensis Sedunensis dioceſis.*

**C**onstitutus in praesentia nostra dilec-  
tus filius P. Ecclesiae tuae Canonicus  
nobis humiliter intimavit quod cùm bona  
memoria Sedunensis Episcopus olim in ea-  
dem Ecclesia in solemnitate beati Mauricij  
celebraret, idem ad præsentationem bona  
memoriae Vvillemi prædecessoris tui eum  
in Subdiaconum ordinavit, à quo ad ejus-

*Epiſt. 148.  
De Diacono  
promoto extra  
tempora.*

LLIII ij